M. TVL. CICERONIS

DE OPTIMO GENERE ORATORVM

opuſculum,

Scholiis Leodegarij à Quercu, recèns ab ipſo locupletatis, illuſtratum.

Additæ ſunt ad marginem variæ lectiones ex vetuſtiſsimo exemplari.

LVTETIÆ

Ex officina viduæ P. Attaingnant, in vico citharæ ad ædem D. Coſmæ.

M. D. LVII.

Ad Petrum Gallãdium lectorem *REGIVM, LEODEGARIVS A QVERCV.*

E Multis hominum millibus vnus es
Cui debetur opus De genere optimo
Oratorum. Etenim ceu cupit vnio
Adiungi aureolis iugiter annulis,
Non plumbo, aut chalybi: ſic cupit hoc opus,
Maioris precij quàm Indicus vnio,
Immo quàm locuples tota ſit India,
Sacrari tibi, qui totus es aureus,
Totus candidulus, totus amabilis.
Quas ob res tibi nunc conſecro Tullium,
Cuius perſimilis, cuius es æmulus,
Cui tu tam placeas, qui tibi tam placet.
Nil tam vult Cicero quàm ſimilem ſui.
Vale.

ARGVMENTVM

POëtarum genera cùm diuerſa ſint, non ſunt tamen diuerſa oratorũ. Quanquã enim alij grandes, alij medij, alij tenues, re ſanè non differunt, ſed facultate. Nam in re quod optimũ ſit quæritur, in homine quod eſt dicitur. Poëtas porrò diuidere poſſis, oratorem (ſi optimũ quæras) non poßis. à quo qui abſunt, genere non differunt, ſed facultate. Ab officiis, qui ſit optimus orator, docet, deinde ab eloquentiæ partibus, inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione. Quas qui aſſecutus ſit, omni laude eſt cumulatus. Et quãtum ab his quiſque abſit, tantum ab optimo remouetur. Cæterùm vt exemplo quale ſit genus optimum oratorũ deſcribat, ait eſſe quale floruit Athenis, à quo Attici ſunt oratores nominati: quorum gloriam omnes, vim pauci norunt. Nam cùm omnes nhil abſurdum, nihil inſulſum, nihil inſuaue dicere, Atticum eſſe dicant: alij tamen in hoc genere ſani ſunt dũtaxat & ſicci, qui fortè ſub vmbraculis velitari poßint, nõ tamen in publicis certaminibus dimicare. alij non contenti bona valetudine, vires & ſanguinem habent: quos imitari debemus, non tamen vt redundãtes ſimus, quales Aſiatici. In priori genere imitemur Lyſiam, qui ſtudio ieiunior eſt ob minutas quas tractabat cauſulas: nec ita demũ optimi oratores euademus̃, ſed tenuißimi. Quanquam in paruis ita cauſis magnus interdum orator dicat, at in magnis (vt pro Milone) ſecus. Qua ratione ieiunos hos qui ſolos ſe Atticos dicunt, mittendos ſuadet, quos ſubtile genus tantùm delectat, non graue & magnificum. Porrò cùm optimi ſint oratores Attici, eorúmque princeps Demoſthenes, is certè optime dicet & Atticé. Cuius orationem, & Æſchinis, Latinam

87

nam Cicero fecit, vt quomodo Atticè dicendum ſit, Latini diſcant, ac velut in rem præſentem deducantur. Verùm alij quoque ſunt qui Thucydidem imitantur, cùm hiſtoricus ab oratore differat. Ad poſtremum, argumentum orationum Æſchinis & Demoſthenis perſcribit, vt ad intelligẽtiam orationum lectorẽ præparet. Scopus eſt, vt prauos quoſdam ſui temporis Atticos, à quibus exagitabatur tanquã Aſianus & tumidus, qui ieiunitatem orationis affectabant, idque Atticum eſſe aiebãt, conuincat, quòd Atticè dicere, ſit optimè dicere: ídque fiat docendo, delectando, mouendo: & ſi grandia magnificè, mediocria temperatè, tenuia ſubtiliter dicantur. Cæterùm hoc opuſculum eſt præfatio in illas Demoſthenis & Æſchinis orationes à Cicerone Latinas factas, quæ tamen deſiderãtur. Porrò apud Quintilianum libri duodecimi capite decimo, colligere licet fuiſſe compoſitum hoc opuſculum poſt Triumuiralem proſcriptionẽ: tunc enim qui Ciceronem oderant, eum inceſſebant conuitiis, & exagitabant vt tumidiorẽ & Aſianum, in repetitionibus nimium, in ſalibus aliquando frigidum, in compoſitione fractum, exultantem, ac propè viro molliorem. ad hæc autem non putabant Ciceronem reſponſurũ. Porrò vt Ciceronem alieniſsimum credebant ab Atticiſmo, ita ſe ſolos Atticos eſſe gloriabantur: quibus diligenter reſpondet hoc libello, quem Eraſmus in Chiliadibus vocat De optimo genere dicendi.

M. TVLLII CICERONIS
DE OPTIMO GENERE ORATORVM.

ORATORVM genera eſſe dicũtur tanquam poëtarum. Id ſecus eſt: nam alterum eſt multiplex. Poëmatis enim Tragici, Comici, Epici, Melici etiam,
a aliàs, quo *ac Dithyrambici, quod [a] magis eſt tra-*
b al. cuius. *ctatũ à Latinis, ſuum quoduis [b] eſt diuerſum à reliquis. Itaque & in Tragœdia comicum vitioſum eſt, & in Comœdia turpe tragicum. Et in cæteris ſuus eſt cuiuſque certus ſonus, & quædam intelligentibus nota vox. Oratorum autem ſiquis ita numerat plura genera, vt alios grãdeis, aut graueis, aut copioſos: alios tenueis, aut ſubtileis, aut breueis: alios eis interiectos, & tanquam medios*
c al. dicit *putet: de hominibus dicet [c] aliquid, de re parũ. In re enim quod optimum ſit quæritur, in homine dicitur quod eſt.*

Oratorum genera.

Orditur à redargutione cacozelorũ, qui optimorũ & perfectiſſimorũ Oratorum plura genera ponebant, quum ſit vnum, nimirũ Atticorum. Nam licet tria ſint genera dicendi, etiam in ſuo genere perfecta, tamen Orator optimus his vteiur omnibus pro qualitate cauſæ, ac vt perſona & pars orationis poſtulat. Porrò initio libri argumentatur Cicero per locũ à differentia. Atq; vt in pauca rem cõferã, ſicuti in Oratore ad Brutũ diſputat quæ ſit optima ſpecies & quaſi figura dicẽdi, & quiſnã ſit Orator omni laude cumulatus: ſic facit hoc libello, quo oſtendit ſummũ & perfectiſſimũ eloquẽtiæ genus eſſe Atticum: illudq; non eſſe ſolùm tenue (vt inuidi dicebãt) ſed etiã graue & floridũ, vt conſtat de Pericle (cui primæ ſine controuerſia deferebantur) qui ſi tenui genere vſus eſſet, nunqnam ab Ariſtophane dictus eſſet fulgurare, tonare, permiſcere Græciam: probari etiã poteſt exemplo Demoſthenis, quo ne Athenę quidem magis Atticæ fuerunt. Cuius multæ orationes totæ graues, vt quædã Philippicæ: muliæ variæ, vt contra Aeſchinem falſę legationis, vt contra eundem pro cauſa Cteſiphontis. Conſtat igitur dicere Atticè non eſſe dicere tãtùm tenuiter, ſed aptè ad tripertitam cauſarum varietatem.

Poematis.

Poematis.

Diſtributio poematum. Eſt autem poema, opus poetæ, hoc eſt figmentum.

Tragici.

A tragœdia nomen habent: vt comici à comœdia. Porrò tragœdia eſt genus poematis grande, in quo Heroes introducũtur, reges, duces: item luctus, exilia, cædes. In hac triſtis exitus, & liberorum fortunarũmque priorum in peius agnitio. Comœdia huic diuerſa eſt.

Epici.) Epici poetæ dicuntur heroici, à dictione epos, quæ ſignificat carmen heroicum. Martialis:

Scribebamus epos: cœpiſti ſcribere, ceſſi,
 Aemula ne ſtarent carmina noſtra tuis.

Melici, ac Dithyrambici.

Poetas melicos vocamus lyricos, à dictione melos: dithyrãbicos à dithyrãbo verſu, qui in honorẽ Bacchi fiebat: cæteris autẽ fuit vehemẽtior, vnde ab Horatio dicitur audax. Verũ dithyrãbici ſunt ferè iidẽ cum melicis & lyricis, vt oſtẽdit Flaccus, dicẽs Pindarũ lyricũ ſcribere dithyrambos audaces. Antiquitas vocauit Bacchum dithyrambum, quòd bis natus eſſet, nempe à Semele & Ioue. ſic Hippolytus dictus eſt Virbius, quaſi ex duabus ianuis prodierit.

Turpe tragicum.

Ampla ſentẽtiarũ grauitas, & verborũ maieſtas eſt ꝓpria tragicorũ, qui grãdiloqui ſunt & vehementes, & mouent potius q̃ delectãt. Hinc Horat. in arte:

Verſibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item priuatis & propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Sed tamen hęc tẽperanda ſunt interdũ & varianda, neque tragico omnibus in locis vtẽdũ eſt eadem cõtentione, ſed aliquando quotidianum ſermonis genus accommodandum: neque Comico ſemper eſt ſerpendum humi, ſed aſſurgendum eſt quandoque ad Cothurnum. Hinc Horatius in arte:

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratúſque Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri
Telephus & Peleus, cum pauper & exul vterque
Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.

Oratorum autem.

Licet tria ſint genera dicendi (ſublime, quod valet ad mouẽdum: medium, quod ad delectandũ: ſubtile, quod ad docendũ) quæ ratione diſtinguuntur: nõ tamen licebit Oratores vt genera diuidere, ſi optimos quærimus. Qui enim optimi ſunt dicendo, tribus florent, vt Demoſthenes & Cicero. Illi autem qui vno genere ſunt cõtenti, tolerabiles quidem ſunt, ſed remotiſſimi à ſummis.

Grandeis, graueis, tenueis, interiectos.

Eos vocat grandiloquos in Orat. ad Brutum, qui cum ampla ſententiarum grauitate, & verborum maieſtate, vehementes, varij, graues, ad permouendos animos & cõuertẽdos inſtructi ſunt. Tenues ibidẽ vocat acutos, omnia docentes, & dilucidiora non ampliora facientes, ſubtili quadam & preſſa oratione limatos. Interiectos vocat intermedios, & quaſi tẽperatos, nec acumine poſteriorum, nec fulmine ſuperiorum vtentes. hic autem tenues opponit grãdibus: ſubtiles grauibus, breues copioſis. vide A. Gel. cap. 14. lib. 7.

In re enim.

Senſus eſt, ſi ſumma rerũ perfectio nõ eſt aut fuit in homine, eſt ſaltẽ in re,

hoc eſt,in eloquentia & eius natura:vt in primo libro de Oratore ad Quintũ fratrem ſcripſit Cicero his verbis. Id ſi eſt difficile nobis, qui antequã ad dicendum ingreſsi ſumus,obruimur ambitione,& foro,ſit tamen in re poſitum, atque natura.

Itaq; licet dicere & Ennium ſummũ Epicũ poëtam, ſicui ita videtur,& Pacuuiũ Tragicum, & Cæcilium fortaſſe Comicum.Oratorẽ genere non diuido.perfectũ enim quæro.Vnum eſt autẽ genus perfecti,à quo qui abſunt,nõ genere differunt,vt ab Accio Terentius,ſed in eodem non ſunt pares.Optimus eſt enim orator,qui dicendo animos audiẽtium & docet,& delectat,& permouet.Docere, debitum eſt: delectare, honorarium: permouere,neceſſariũ. Hæc vt alius melius quàm alius,concedendum eſt:verùm id fit nõ genere,ſed gradu. Optimum quidem vnum eſt:& proximum,quod ei ſimillimum : ex quo perſpicuum eſt,quod optimo diſsimillimum ſit, id eſſe deterrimum.

Ennium ſummum Epicum.

Hic fuit ingenio maximus,arte rudis.

Pacuuium Tragicum.

Hunc tamen ridet Martialis his verbis.

Attonitúſque legis terrai frugiferai,
Accius & quicquid Pacuuiúſque vomunt,

De iiſdem ſic Perſius Satyra prima,

Eſt nunc,Briſeis quem venoſus liber Accì,
Sunt quos Pacuuiúſque,& verrucoſa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.

Cæcilium fortaſſe comicum.

Hunc Cæcilium Statium Cicero frequenter citat, quem multi Plauto & Terentio anteponunt.

Optimum eſt enim.

Hic tradũtur Oratoris officia tria:docere,delectare,mouere.Docere eſt neceſſitatis,delectare voluptatis,flectere victoriæ. Vult tamen Agricola eſſe vnũ Oratoris officium,nempe docere:reliqua vocat acceſſiones. De his officiis ſic ad Quintũ fratrẽ:Tres ſunt rationes,vna conciliandorũ hominũ, altera docẽdorum,tertia concitandorũ.Harũ trium partiũ prima lenitatẽ orationis,ſecunda acumẽ,tertia vim deſiderat.Nã hoc neceſſe eſt,vt hic qui nobis cauſam adiudicaturus ſit,aut inclinatione volũtatis propẽdeat in nos, aut defenſionis argumẽtis adducatur,aut animi pmotione cogatur.De his vide Orat.ad Brut.

Hæc vt alius.

Occupatio,quam ſoluit conceſſione, docens non genere, ſed facultate differre Oratores.

Nam quoniam

Nã quoniam [a] eloquẽtia cõſtat [b] ex verbis & ex ſentẽtiis, perficiendũ eſt, vt purè & emendatè loquẽtes, quod eſt Latinè, verborũ præterea & propriorũ & tranſlatorũ elegãtiam perſequamur. In propriis, vt aptiſsima [c] eligamus: in trãſlatis, vt ſimilitudinẽ ſecuti, verecũdè vtamur alienis. Sẽtentiarũ autem totidẽ genera ſunt, quot diximus [d] eſſe laudũ. Sunt enim docẽdi, acutæ: delectãdi, quaſi argutæ: cõmouendi, graues. Sed & verborũ eſt ſtructura quædã duas res efficiẽs, numerũ, & lenitatẽ: & ſentẽtiæ ſuã cõpoſitionem habent ad probandã rem accõmodatũ ordinem: ſed earum omniũ rerum, vt ædificiorũ, memoria eſt quaſi fundamentum: lumen actio. Ea igitur omnia in quo ſumma, erit orator peritiſsimus: in quo media, mediocris: ĩ quo minima, deterrimus. Et appellabũtur omnes oratores, vt pictores appellantur etiã mali: nec generibus inter ſeſe, ſed facultatibus differẽt. Itaq; nemo eſt orator qui ſe Demoſthenis ſimilem eſſe nolit: at Menãder Homeri noluit: genus enim erat aliud. id nõ eſt in oratoribus: aut etiã ſi eſt, vt alius grauitatẽ ſequẽs, ſubtilitatẽ fugiat: contrà alius acutiorẽ ſe q̃ ornatiorem velit: etiã ſi eſt in genere tolerabili, certè non eſt in optimo. ſiquidẽ quod omnes laudes habet, id eſt optimum.

a al quũ.
b al. cõſtet.
c aliàs, Lautiſsima.
d al. dixi.

Nam quoniam.

Significat eſſe perfectũ Oratorẽ, qui perfectè habet quinque partes Rhetorices, inuentionẽ, diſpoſitionem, elocutionẽ, memoriam, pronunciationem. ſumit autem diuiſionem à duobus elementis orationis, re, & verbo.

Sententiarum autem.

Vt tres ſunt virtutes Oratorum, ita tres ſunt ſententiarum.

Numerum.) Numerus eſt pes omnis aptè cadens, quo decenter ingreditur oratio: de quo pleniſsimè habes in fine Oratoris ad Brutum. conſideratur autem maximè initio periodi, & in fine.

Lenitatẽ.) Per lenitatẽ intelligas iuncturã: lenis enim debet eſſe iũctura, ſine hiatu & aſperitate. Cõpoſitio autẽ tres habet partes, ordinẽ, iuncturã, numerũ.

Lumen.) Hoc eſt ornamentũ & illuſtratio. metaphora à corporibus. vt enim faciem ornant lumina, ſic pronunciatio decorat orationẽ. at ſi illepida fuerit actio, totam orationem conſpurcat. Vide Partit. & Orat. ad Brutum.

Hæc[a] dixi breuius equidem quàm res petebat: ſed ad id quod agimus, nõ fuit dicendum pluribus. Vnum enim cùm ſit genus, id quale ſit quærimus. Eſt autem tale, quale floruit Athenis, ex quo Atticorum oratorum ipſa vis ignota eſt, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitioſi nihil apud eos[b]: alterũ pauci, laudabilia eſſe multa. Eſt enim vitioſum in ſententia, ſi quid abſurdum, aut alienum, aut non acutum, aut ſubinſulſum eſt. In verbis, ſi inquinatũ, ſi abiectum, ſi non aptum, ſi durum, ſi longè petitum. Hæc vitauerunt ferè omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè: ſed quãtenus valuerunt, ſani & ſicci duntaxat habeãtur, ſed ita, vt palæſtricè[c] ſpaciari in Xyſto liceat, nõ vt ab Olympiis coronã petant. Qui cùm careãt omni vitio, non ſunt cõtenti quaſi bona valetudine, ſed vires, lacertos; ſanguinẽ quærunt,[d] quandã etiam ſuauitatem coloris: eos imitemur, ſi poſſumus: ſin[e] minus, illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt (quod eſt propriũ Atticorum) ꝗ eos, quorum vitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit.

a alias, Hæc autẽ.
b alias, eos eſſe.
c alias, Palæſtritæ.
d alias, quærant.
e alias, ſi

Sicci.

Tranſlatio à corporibus. Siccos autem homines vocamus, qui non abundant corruptis humoribus. ſignificat eos nil habere vitioſum aut redundans.

Vt Palæſtricè.) Id eſt, minora certamina ſuſtinere poſſunt, & minores cauſas tractare. Vide prouerbium, Apalæſtri.

Xyſto.) Xyſtus porticus erat in qua Palæſtrici ſe exercebant hyeme (ait Vitruuius) à qua dicti fuere Xyſtici.

Ab Olympiis.

Olympia fiebant in honorẽ Iouis apud Piſam & Elidẽ. Sunt autẽ Olympia, certamina gymnica quinto quoque anno celebrata. In Olympiis victores donabãtur corona oleagina, vt in Nemeis certaminibus corona pinea. In Iſthmiis corona ex apio: in Pythiis diademate laureo. hæc enim decantatiſsima fuerunt quatuor certamina in Græcia. Eſt autẽ prouerbiũ ab Olympiis coronam petere, in eos, qui ex arduis rebus ſolidam gloriam quærunt.

Qui cùm careant.) Iam non agit de tenuibus, ſed de optimis, qui adhibẽt vim dicendi ad tripartitam varietatem.

Lacertos.

Lacertos hîc ſumit pro neruis & robore, nõ pro brachiis. ſic dicimus lacertoſum neruoſum, non autem qui multos lacertos habet. eſt autem allegoria.

Quod

Quod cũ faciemus, ſi modò id ipſum aſſequemur (eſt enĩ permagnũ) imitemur (ſi poterimus [a]) Lyſiam, & eius quidem tenuitatẽ potiſſimũ. Eſt enim multis in locis grandior: ſed quia & priuatas ille pleraſque, & eas ipſas aliis, & paruarũ rerũ cauſulas ſcripſit, videtur eſſe ieiunior, quoniã ſe ipſe conſultò ad minutarũ genera cauſarũ limauerit. Quod qui ita faciet, vt ſi cupiat vberior eſſe, non poſſit, habeatur ſanè orator, ſed de minoribus. magno autẽ oratori etiã illo modo ſæpe dicendũ eſt in tali genere cauſarũ. Ita fit, vt Demoſthenes certè poſſit ſummiſſe dicere, elatè Lyſias fortaſſe nõ poſſit. Sed ſi eodẽ modo putãt exercitu in foro, & in omnibus tẽplis quæ circũ forũ ſunt, collocato, dici pro Milone decuiſſe, vt ſi de re priuata ad vnum iudicem diceremus, vim eloquentiæ ſua facultate, non rei natura metiuntur.

[a] aliàs, potuerimus.

Lyſiam.

Lyſiam proponit, & hũc potius quàm alium ſumit in exemplum, quoniam cacozeli ſe illum imitari dicebant.

Eas ipſas aliis.

Quoniã Athenis prohibitum fuit adhibere ad cauſas Oratorem, Lyſias vendebat egentibus, clientibus, & reis qui non poterant ſuo Marte ſibi defenſionẽ componere, ſuas orationes: qui & Socrati dare vnam voluit.

Limauerit.

Id eſt, exercuerit & extenuauerit: metaphora ducta à fabris.

De minoribus.

Intelligit eos qui repunt humi.

In tali genere.

Humili, quando cauſa tenuis eſt.

Ita fit vt Demoſthenes.

Affert exemplum optimi Attici.

Exercitu in foro.

Cùm agenda cauſa Milonis eſſet, Pompeius Cõſul habito militũ delectu ex tota Italia, in foro & circa fori aditus omnes diſpoſuit præſidia, ipſe ad ærarium cõſedit ſtipatus militibus. Vide Plutarchum in vitam Ciceronis, & orationem pro Milone.

In templis quæ circum forum ſunt.

In foro Romano, quod eſt inter càpitolium & palatium, ſunt roſtra & ædes Saturni, Caſtoris, Pollucis: in foro Cæſaris, templum Veneris: in foro Auguſti, templum Martis: in foro boario, templum Herculis.

Natura.

Hoc eſt perfectione eloquentiæ.

a aliàs, quum.
b al. volũt.
c aliàs, haberent.
d aliàs, adhiberentur.
e aliàs, Idcirco ſi ſiccè

Quare quoniam [a] nonnullorum ſermo iam increbuit, partim ſe ipſos Atticè dicere, partim neminẽ noſtrûm dicere: alteros negligamus. ſatis enim his res ipſa reſpondet, cùm aut non adhibeantur ad cauſas, aut adhibiti derideantur: nam ſi arrideantur, eſſet idipſum Atticorum. Sed qui dici à nobis Attico more nolunt, [b] ipſi autem ſe non oratores eſſe profitẽtur, ſi teretes aures habẽt, [c] intelligénſque iudicium, tanquam ad picturam probãdam adhibentur [d] etiam inſcij faciendi, cum aliqua ſolertia iudicandi. Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi faſtidio, neque eos quicquam excelſum magnificúmque delectat: dicant ſe ſubtile quiddam & politum velle, graue ornatúmque contemnere: id verò deſinãt dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos Atticè dicere, id eſt, quaſi ſiccè [e], & integrè, & amplè, & ornatè, & copiosè: cum eadem integritate Atticorum eſt. quid dubium eſt, vtrum orationem noſtrã tolerabilem tantùm, an etiam admirabilem eſſe cupiamus? Non enim iam quærimus quid ſit Atticè, ſed quid ſit optimè dicere.

Derideantur: nam ſi arrideantur.

Lepidiſſima ſanè paronomaſia: hoc eſt, ſi blando riſu & applauſu probẽtur.

Teretes aures.

Eas vocamus perfectas, & acri iudicio præditas, quoniam rotunda figura eſt perfectiſſima, & capaciſſima: vnde & Virgilius virum probatum vocat rotundum, hoc carmine: Securus, mundi inſtar habens, teres, atque rotũdus.

Tanquam ad picturam probandam.

Senſus eſt: digni eſſent qui admitterentur ad iudicandum, ſi quid iudicij haberent: ſed cùm non ſint Oratores, non poſſunt de oratoribus aliter iudicare, q̃ vulgus de pictura. Alludit ad conſuetudinem Apellis, pictoris, qui in pergula proponebat tabulas ſuas prætereuntibus, vt retrò latitãs audiret quænam eſſent de his iudicia. Vide lib. 1. Offic. ſub finem, in cap. Talis eſt igitur ordo. & tertio Offic. in cap. Panætius igitur, &c. & Plinium cap. 10. lib. 35.

In audiendi faſtidio.

Quia faſtidiunt nos grauiter & magnificè dicentes.

Idcirco.) Idcirco hîc pro Quare ponitur.

Quaſi ſiccè & integrè.

De hac re in Oratore perfecto ad Brutum loquitur in initio.

Ex quo

Ex quo intelligitur, quoniā [a] Græcorum oratorum præſtātiſsimi ſunt [b] ij qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facilè Demoſthenes, hunc ſi quis imitetur, eum & Atticè dictur ū, & optimè: vt quoniam [c] Attici nobis propoſiti ſunt ad imitandū, bene dicere id ſit Atticè dicere. Sed cum in eo magnus error eſſet, quale eſſet id dicēdi genus, putaui mihi ſuſcipiēdū laborē, vtilē ſtudioſis, mihi quidē ipſi nō neceſſariū. Cōuerti enim ex Atticis duorū eloquentiſsimorū nobiliſsimas orationes inter ſe [d] cōtrarias, Æſchinis, Demoſthenisq; : nec cōuerti vt interpres, ſed vt orator ſentētiis iiſdē, & earū formis tanquā figuris, verbis ad noſtrā conſuetudinem aptis: in quibus nō verbū pro verbo neceſſe habui reddere, ſed genus omniū verborū vimq; ſeruaui: non enim ea me annumerare lectori putaui oportere, ſed tāquā appēdere. Hic labor meus hoc aſſequetur, vt noſtri homines, quid ab illis exigāt qui ſe Atticos volūt, & ad quā eos quaſi formulā dicēdi reuocēt, intelligāt. Sed exorietur Thucydides: eius enim quidā eloquentiā admirātur. id quidē rectè, ſed nihil ad eū oratorē, quē quærimus [e]. Aliud eſt enī explicare res geſtas narrādo, aliud argumētādo criminari, crimēve diſſoluere: aliud narratione tenere auditorē, aliud cōcitare.

- a aliàs, quomodo. al. quum.
- b al. ſint.
- c al. vtrū quomodo.
- d al. ſeque.
- e aliàs, admiratur.

Vtilem ſtudioſis.) Beneuolentiæ captatio ab officio laboris ſuſcepti.

Vt interpres.) Qui ſingula verba & dictiones interpretatur, & (vt aiunt) ad verbum vertit. Hinc autem collige præceptum optimè vertēdi: vult enim Cicero vbique eſſe ſuus, vt conſtat, tum ex initio lib. 1. de Finib. tū ex Tuſcul. q̄ſt.

Appendere.

Id eſt ponderare: id eſt, vt pondus & grauitatem ſeruarem. Eſt autem metaphora à diuitibus, qui in minori moneta non numerant, ſed appendunt: verba autē ſunt ſimilia monetæ. Nā vtraque valent vſu. Porrò ſignificat liberiorem verſionē, & ſimilē paraphraſi. Sic autē locutus eſt in Oratore, Quòd ſi in philoſophia tantū intereſt quēadmodū dicas, vbi res ſpectatur, nō verba pendūtur.

Sed exorietur.

Argumentum eſt à diſsimili, de quo vide de Claris Oratoribus, & Oratorem ad Brutum.

At loquitur pulchrè: num melius quàm Plato? neceſſe tamen eſt oratori quem quærimus, controuerſias explicare forenſes, dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permouẽdum. Quare ſi quis erit qui Thucydidio genere cauſas in foro ſe dicturum eſſe profiteatur, iſq; abhorreat etiam à ſuſpicione eius, quæ verſatur in re ciuili & forẽſi: qui Thucydidem laudauit, aſſcribat ſuæ noſtram ſententiam. Quin ipſum Iſocratem, quem diuinus author Plato ſuum ferè æqualem admirabiliter in Phædro[a] laudari fecit à Socrate, quémque omnes docti ſummum[b] oratorem eſſe dixerunt: tamen hunc in numero non repono. Non enim in acie verſatur & ferro. quaſi[c] rudibus eius eludit oratio.

a aliàs, Phædone.
b aliàs, doctiſſimum.
c al. ſed.

At loquitur.

Obiectio eſt eorum qui fauent Thucydidi: huic obiectioni addit exemplũ.

Apto ad docendum. Quæ omnia non ſunt in Platone, qui huc non admittetur, ergo nec Thucydides.

Qui Thucydidio. Senſus eſt, ſi quis ita tractare cauſas forenſes velit, vt ciuilẽ omnino facultatem remoueat, is Thucydidem imitetur, qui à re forenſi remotus eſt. quanquam hac ſine facultate eſſe Orator non poteſt.

Iſocratem.

Argumentũ à maiori ad minus, Si orator iudicio omniũ ſummus Iſocrates in hunc numerum non recipitur, ergo nec inferior eo Thucydides.

In Phædro.

Verba Platonis quibus in Phædro Socrates Iſocratẽ commendat, ſic tranſtulit Cic. Adoleſcens etiam nũc ô Phædre Iſocrates eſt, ſed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiori mihi ingenio videtur eſſe, quàm vt cum orationibus Lyſiæ cõparetur: præterea ad virtutem maior indoles: vt minimè mirũ futurum ſit, ſi cum ætate proceſſerit, aut in hoc orationũ genere cui nunc ſtudet, tantũ quantũ pueris reliquis præſtet omnibus qui vnquã orationes attigerũt: aut ſi cõtẽtus his nõ fuerit, diuino aliquo animi motu maiora cõcupiſcat. ineſt enim natura philoſophia in huius viri mẽte quædã.

Quémque omnes.

Cicero in Bruto ſcribit domum eius fuiſſe officinam eloquentiæ.

Quaſi rudibus) Id eſt virgis, trãſlatione ducta à rudiariis gladiatoribus, qui rudibus in vmbraculo apud laniſtam dimicant, non ferro, vt in iuſta acie. cauſas enim demonſtratiuas tractabant.

Eludit oratio.

Eludere dicuntur gladiatores, quando declinatione corporis aut alio modo vitant aduerſarij petitionem: & aqua ad littus dicitur eludere. vide Ciceronem in Top. vbi de definitione agit.

Ame

A me autem (vt cum maximis minima conferã) gladiatorũ par nobiliſſimũ inducitur, Æſchines tãquã Æſerninus (vt ait Lucilius) Non ſpurcus homo, ſed doctus & acer,

Cum Pacidiano [a] hic componitur optimu' longè
Poſt homines natos. a aliàs, Pacideiano.

Nihil enĩ illo oratore arbitror cogitari poſſe diuinius. Huic labori noſtro duo genera reprehẽſorũ [b] opponũtur: vnũ hoc, verũ melius Græci: [c] à quo quæratur, Ecquid [d] poſſint ipſi melius Latinè? Alterũ, Quid iſtas potius legã, q̃ Græcas? Iidẽ Andriã & Synephebos, nec minus Terẽtiũ & Cæciliũ, q̃ Menandrũ legũt: nec Andromachã, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiãt [e]: ſed tamẽ Enniũ, & Pacuuiũ, & Accium potius quàm Euripidem & Sophoclẽ legunt.

b al. reprehenſionum. c aliàs Græcè. d aliàs, Et quid. e aliàs, reiiciunt.

Vt ait Lucilius. Lucilius lib. 4. Satyrarum ſic ſcripſit:
AEſerninus fuit flacco ore infamis & acer,
Samnis ſpurcus homo, vita illa dignus, locóque,
Cum Pacideiano componier, optimus multo
Poſt homines natos gladiator qui fuit vnus.

Et meminit Cic. in 2. Tuſc. & in Bruto. Meminit etiam Nonius in dictione Spurcum. Vide Cælium lib. 6. cap. 33. aut recurre ad Eraſmicas Chiliadas, vbi interpretatur adagium, Aeſerninus cum Pacidiano. Vide Crinitum lib. 19. ca. 9, Vide de Claris Orat. hos autem verſus non perfecit Cic. quòd eſſent notiſſimi. Porrò Aeſerninus cum Pacidiano, eſt prouerbium de pugna æquali: cuius ſimile eſt, Bithus cum Bacchio.

Poſt homines natos.) Poſt homines natos, & poſt hominũ memoriã, locutiones ſunt lepidæ, pro eo quod craſſius diceremus, A conſtitutione mundi.

Verùm melius Græci.) Verba ſunt reprehẽſorũ Cic. qui Demoſthenẽ & Aeſchinem dicũt melius loquutos Græcè, q̃ Ciceronẽ Latinè in orationis verſione.

Iidem Andriam.) Vide principium libri primi de Finibus bonorum & malorum: eadem enim ferè habet. Vide & primam Academicam.

Synephebos.) Synephebi dicũtur cõpubeſcẽtes, de qb⁹ comœdiã ſcripſit Cęcilius.

Nec minus Terentium.) Argumentum à pari.

Andromacham.) Andromacham & Antiopam Euripides ſcripſit: Antiopã vertit Pacuuius: ſunt autem tragœdiarum tituli.

Epigonos.

Epigoni dicti ſunt hi qui ſecundum bellum Thebanum cõfecerunt, nempe nepotes ducum qui primo bello Thebano perierant. Etenim Græcè Epigoni dicuntur poſteri: de his autem Tragœdiam fecit Euripides Gręcam, Pacuuius Latinam. Cicero ſub finem ſecundæ Tuſcul. citat, & lib. primo Offic. in cap. Intelligendum etiam, &c.

Quod igitur eſt eorum in orationibus à Græco cõuerſis [a] faſtidium, nullum cùm ſit in verſibus? Sed aggrediamur iam quod ſuſcepimus, ſi prius expoſuerimus [b] quæ cauſa in iudiciũ deducta ſit. Quum eſſet lex Athenis, ne quis populi ſcitum faceret, vt quiſquam corona donaretur in magiſtratu prius quàm rationes retuliſſet: & altera lex, eos qui à populo [c] donarentur, in concione donari debere: quia in Senatu Demoſthenes curator muris reficiendis fuit, eóſq; refecit pecunia ſua: de hoc igitur Cteſiphon ſcitum fecit, nullis ab ipſo rationibus relatis, vt corona aurea donaretur, eáque donatio fieret in theatro, populo conuocato, qui locus non eſt cõcionis legitimæ: atq; ita prædicaretur, eum donari virtutis ergô, beneuolentiæq́; quã erga populũ Atheniẽſem haberet, Hũc [d] igitur Cteſiphontẽ in iudiciũ adduxit Æſchines, ꝙ cõtra leges ſcripſiſſet, vt & rationibus nõ relatis corona donaretur, & vt in theatro, & ꝙ de virtute eius & beneuolẽtia falſa ſcripſiſſet, quoniã [e] Demoſthenes nec vir bonus eſſet, nec bene meritus de ciuitate. Cauſa ipſa abhorret illa quidem formula cõſuetudinis noſtræ, ſed eſt magna.

[a] aliàs, verſis.
[b] aliàs, expoſuerim.
[c] aliàs, à Senatoribus, donarẽtur, in Senatu donari debere.
[d] al. Nunc.
[e] al. quum.

Sed aggrediamur.
Tranſitio ad explicationem argumenti.

Cum eſſet lex Athenis.
Argumentum orationum Demoſtenis & Aeſchinis, quod fuſius à Libanio tractatur, qui ſcribit, cùm magna ex parte muri Athenis eſſent diruti, creatos fuiſſe decem curatores qui muros reficerent pecunia publica: ex quorum numero cùm eſſet Demoſthenes, murum refecit ſua pecunia.

Corona.
Hæc dabatur bene merentibts de ciuitate. Sic enim populus & Senatus bene merenti referebant gratiam.

Prædicaretur.
Id eſt, declararetur à præcone.

Legitimæ concionis.
Nam concio legitima Athenis fiebat in loco qui dicitur Penix.

Ergô.
Ergô hîc pro cauſa ſumitur, & eſt vetus aduerbium.

Habet

Habet enim & legum interpretationem ſatis acutam in vtranque partem, & meritorum in Rempublicam cōtentionem [a] ſanè grauē. Itaque cauſa fuit Æſchini, quoniam [b] ipſe à Demoſthene eſſet capitis accuſatus, quòd legationem ementitus eſſet, vt vlciſcendi inimici cauſa nomine Cteſiphontis iudicium fieret de factis famáque Demoſthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo, quòd ciuis improbus vt optimus laudatus eſſet. Hanc mulctam [c] Æſchines à Cteſiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, ſed iudicium factum eſt aliquot annis pòſt, Alexandro iam Aſiam tenente: ad quod iudicium concurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe. Quid enim aut tam viſendum, aut audiendum fuit, quàm ſummorum oratorum in grauiſſima cauſa, accurata & inimicitiis incenſa contentio? Quorum ego orationes ſi vt ſpero, ita expreſſero virtutibus vtens illorum omnibus, id eſt ſententiis, & earum figuris, & rerum ordine, verba perſequens eatenus, vt ea nō abhorreant à more noſtro (quæ ſi è Græcis omnia conuerſa nō erunt, tamen vt generis eiuſdem ſint, elaborauimus [d]) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Atticè volunt [e] dicere.

a aliàs, cōcionem.
b al. quū.
c al. multā
d aliàs elaborabimus.
e al. volent.

Ipſe à Demoſthene eſſet capitis accuſatus,

Demoſthenes Aeſchinem accuſauit, quòd apud Philippū malè obiiſſet legationem, & Rempublicam prodidiſſet accepta pecunia à Philippo: fuit tamen abſolutus Aeſchines. fuit enim Aeſchines vnus de decem legatis miſſis ad Philippum de pace. bellum enim erat inter Philippum & Athenienſes de Amphipoli.

Hanc mulctam.

Hæc mulcta erat quinquaginta talentorum. Talentum autem æquiualet ſexcentis coronatis. De hac mulcta lege Demoſthenem.

Non abhorreant à more noſtro.

Senſus eſt, non redolent phraſim Græcam, ſed Germanam Latinam.

Sed de nobis ſatis. Aliquando enim Æſchinem ipſum Latinè dicentem audiamus.

Cætera deſiderantur.

De nobis.

Intelligit verſionem ſuam, quam temporum iniuria cum multis eius operibus perdidimus.

FINIS.

LEODEGARII A QVERCV AD LECTORES EPIGRAMMA.

MVſarum & Charitum beati alumni,
Qui contenditis omnibus lacertis
Aptè dicere, & Atticè, libellum
Hunc euoluite ſedulò, docebit
Quem vos quæritis impigrè Atticiſmum:
Vt Demoſthenis in modum queatis
Delectare, docere, permouere,
Cum quadam lepida palæſtra, & arte,
Qua ſemper tenui in negocio vos
Sitis prætenues, in arduo alti,
Inſtante inter vtrunque temperati.
Nimirum variare ſic ſolebat
Ipſe olim Atticus omnium Atticorum
Flos, quo Palladias negant Athenas
(Dum ſtarent) magis Atticas fuiſſe.

Soli Deo honor & gloria.